



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Quæstio XIX. In Titulum XIX. De Usuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

quibus tam corrupto iudicio nocuerunt, non condignè resarciant.

1006 *Stellionatus*, cùm sit genus ad omnia crimina, non habentia titulum specialem, iis pœnis subijcitur, quibus ea, quæ nomen ejus recipiunt. De pœna *expilata hæreditatis* l. i. ff. h. t. dicitur, ejusmodi expilatores extra ordinem solere coerceri per accusationem expilatæ hæreditatis; non au-

tem pœnâ furum; cùm furtum strictè sumptum requirat, quod aliqua persona existat, cui res auferatur, tanquam possidenti, & detinenti, nisi defunctus rem pignori dederit, accommodaverit, aut usus fructus alienus in ea re sit, ut dicitur l. 68. cum sequentibus ff. *de furtis*, quia tunc res jam erat *in detentione certæ personæ*, nempe creditoris commodatarii, Usufructuarii.

QUÆSTIO XIX. IN TITULUM XIX. DE USURIS.

1007



Mutua contingunt in mutuo; *mutuum* autem sic dictum est, quia de *meo* fit *tuum*. Definitur *traditio rei consistens in numero, pondere, & mensura, spe recuperandi statuto tempore tantundem in genere suo*. Dicitur *traditio*, quia mutuum non perficitur solo consensu, sed traditione, quâ rei dominium transfertur. Dicitur *rei consistens in pondere, &c.* ut massa argenti; *in numero*, ut in pecunia; *in mensura*, prout est vinum, triticum, quæ dicuntur recipere functionem, quia nimirum funguntur officio, vel vice alterius, ut vinum pro vino, &c. Dicitur *cum spe*, ad differentiam donationis, venditionis, &c. Dicitur *statuto tempore*, quia mutuarius non tenetur reddere antè; Dicitur *tantundem*; nam hoc solum requiritur, ut reddatur tantum, quantum datum est. Dicitur *in genere suo*, quia non requiritur, ut reddatur idem in individuo. Id, quod alteri mutuo datur, vocatur *fors*; lucrum autem, quod ex contractu mutui nascitur ultra fortem, dicitur *usura*, seu *fœnus*, à foetu, quasi sit partus, seu fructus pecuniæ, vel alterius rei mutuo datæ; hinc si quis mutuo dat centum florenos ad annum, cum obligatione sibi anno elapso reddendi centum decem, *fors* erunt centum; *lucrum, usura*, seu, *fœnus*, erunt illi decem floreni; his præmissis:

ARTICULUS I.

Quid, & quoruplex sit usura?

1008 **C**ommunis docet *usuram esse lucrum questum ex mutuo vi mutui*. Dicitur *lucrum*, quo intelligitur aliquid pretio æsti-

mabile supra fortem, seu ultra id, quod mutuo datum est, ut dixi priori num. Dicitur *questum*, vel mente, & animo, & erit *usura mentalis*; seu pacto expresso, & dicitur *usura realis*: Dicitur *questum ex mutuo*, vel *expresso vel tacito*, aut *palliato*, quod fit, cùm res mutuo data, vendi fingitur. Dicitur *vi mutui*, cùm scilicet hoc *præcisè* titulo, ex re mutuo data, lucrum quaeritur, *quia mutuo datur* secluso quovis alio iusto titulo; & in hoc propriè consistit differentia *usuræ*. Si enim alio titulo lucrum exigas, in casu, quo mutuum datur, v. g. quia tibi interim cessat lucrum, quod fecisses eâ re negotiando, lucrum illud non est *vi mutui*, sed *vi alterius contractus*, ut amplius patebit ex dicendis.

Ex hoc sequitur, quòd si contractui mutationis superaddatur alius contractus onerosus, in alio iusto titulo fundatus, possit exigi lucrum; cùm id non sit ex mutuo, sed ex alio contractu oneroso, qualiter fit, quando mutuator, dans mutuum cum damno emergente, vel lucro cessante, superaddit novum contractum, distinctum à mutuo, recipiendi æstimationem illius; nam sic obligat se ad sustinendum illud damnum emergens, aut illam lucri cessationem, quorum utrumlibet est pretio dignum. Sic Cardenas in propof. damnatas ab Innocent. II. dissert. 25. c. 2. n. 2. si quid autem ultra fortem exigitur, *præcisè* tanquam debitum ex mutuo, propriè usura est. Sic Castropalaus d. 4. de Just. Commut. p. 9. n. 2.

Hinc si quis aliquem obliget ad amicitia signa exhibenda, ad remissionem injuriæ, tanquam debitum *ex mutuo*, & non aliunde; usuram committit, si exigat, ut pretium mutui

ARTICULUS II.

Quæ usura, & quo jure sint prohibite?

Communis tenet usuras *compensatorias* 1013
 nullo jure prohibitas esse, de quo
 dicemus infra. *Punitorias* autem, seu
morosas, juris forma non patitur, nisi sint
 moderatæ, ac proportionatæ dilationi so-
 lutionis culpabili; quod verum est, licet
 quantitas pœnæ conventionem partium ta-
 xata sit, ut constat ex L. 15. C. de usuris,
 ibi: *cum allegas uxorem tuam ea conditione*
mille aureorum numero quantitatem sumpsis-
se, ut si intra certum diem debito satis non
fecisset, cum pœna quadruplici redderet,
quod accepit, Juris forma non patitur, legem
contractus hujus ultra pœnam legitimarum
usurarum posse procedere. Manet ergo so-
 las usuras lucratorias esse prohibitas.

§. 1.

Quo jure usura lucratoria sit prohibita?

Hanc usuram esse prohibitam jure po- 1014
 sitivo Ecclesiastico, constat ex Cle-
 ment. unic. de Usuris, ibi: *si quis in illum*
errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare
presumat, exercere usuram, non esse pecca-
tum, decernimus, eum velut hæreticum pu-
niendum, locorum nihilominus Ordinariis,
& hæretica pravitatis inquisitoribus distri-
ctius injungentes, ut contra eos, quos de er-
rore hujusmodi diffamatos invenerint, aut su-
spectos, tanquam contra diffamatos, vel su-
spectos de hæresi procedere non omittant.

Quæstio potissima est, an prohibita sit 1015
 solo jure positivo Ecclesiastico? id, quod
 tribuitur Abulensi, Armacano, & Ancha-
 rano apud Haunoldum tom. 3. de jure, &
 justitia. tr. 9. n. 367. Concors tamen Theo-
 logorum sententia est, *usuras lucratorias*
 esse prohibitas non solum Jure Canonico,
 sed etiam divino, & naturali; sic Cardenas
 in Crisi Theol. de proposit. ab Innocent. XI.
 damnatis, dissertat. 25. c. 2. volens, di-
 ctam prohibitionem esse de fide; quamvis
 alii sentiant apud Haunold. cit. *propositio-*
nem, quæ docet, usuram lucrativam esse
solum Juris Ecclesiastici, esse temerariam,
periculosam, erroneam, vel errori proxi-
nam, quorum terminorum expositionem
 dedimus superius. In cit. tamen Clement.
 §. *pernaciter*, dicitur: *pernaciter asseren-*
tem, exercere usuras, non esse peccatum, hæ-
reticum esse, juxta summationem Joann.
Andræ; quamvis textus solum dicat: de-
cernimus velut hæreticum puniendum.

Ec

Esse

mutui, non autem ut meram gratiam.
 Idem est, si mutuans à mutuuario taliter
 exigat, ut ipsi, vel alteri officium, vel be-
 neficium conferat, remutuet, ex sua offi-
 cina emat, in suo molendino molat, do-
 mum justâ mercede conducatur, vel si mu-
 tuarium obliget ad exequendam obliga-
 tionem antidoralem, seu obligationem ex
 gratitudine. Dixi *præcisè tanquam debitum*
ex mutuo; nam ut lucrum ultra sortem ex
 mutuo quæsitum, propriè, ac in sensu
 Theologico sit *usurarium*, requiritur,
 quòd in pactum deducatur, ut pro mutuo
 dato solvatur aliquid ultra sortem, *seclusis*
titulis excusantibus excessum sortis, de qui-
 bus dicemus infra. Unde *lucrum ex mu-*
tuo, vi mutui, & lucrum ex mutuo seclusis
aliis titulis, manente solo titulo mutui, si ex-
cedat sortem, verè, ac propriè usura est,
 de qua hic agitur.

1011 Quoad secundam partem tituli ex dictis
 n. 1008. constat, usuram aliam esse *men-*
talem, aliam *realem*. Alia præterea est *aper-*
ta, seu *expressa*, & *formalis*, & datur,
 quando expressè paciscimur aliquid dan-
 dum ultra sortem, *titulo solius mutui*; alia
tacita, seu *virtualis*, quæ etiam *palliata*
 dicitur, quando continetur in virtute alte-
 rius contractus, cujus nomine tale lucrum
 tegitur, & quasi palliatur; hujus exemplum
 dari solet, quando res venditur carius, *ob*
dilatam; vilius, ob *anticipatam solutionem*,
 eo præcisè titulo, quòd citius, aut tardius.

1012 Coeterum Jurisperiti triplex genus
 usurarum distinguunt, *lucratorium*, *puni-*
torium, seu *morosum*, & *compensatorium*,
 seu *restauratorium*. Usuram *lucratoriam*
 vocant, quæ lucrum ultra sortem quærit
 ex mutuo, præcisè vi mutui, ut exposi-
 tum est; quatenus nimirum præcisè in-
 ruitu mutationis, ut habet rationem be-
 neficii, auctarium ultra sortem exigitur.
 Quando autem intervenit pactum de pœ-
 na aliqua solvenda, si mutuarius fuerit
 in mora reddendi mutuum tempore præ-
 fixo, erit usura *morosa*, seu *punitoria*: si
 verò addatur mutuo pactum de solvendo
 ultra sortem aliquo in compensationem
 lucri cessantis, vel damni emergentis,
 vocatur usura *compensatoria*, seu *restauro-*
ria. Plures usurarum divisiones, qui
 vollet, videre poterit apud Pereyram in
 Elucid. à n. 902.

Tom. V.

1016 Effc prohibitam jure etiam divino, constat ex cit. Clementina, ubi postquam dicitur: *Officiales communitatum, facientes, dictantes, vel scribentes statuta super usuris solvendis, non repetendis, vel non restituendis, vel judicantes secundum illa, vel non delentes illa (si possunt) intra tres menses de libris communitatum, vel illa servantes, excommunicatos esse*, expressè subjungitur: *talita statuta esse contra jura divina pariter, & humana*. Constat etiam ex c. *super eo*, 4. h. t. ibi: respondemus, quòd, cum usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri, non videmus; ubi subjungit Alexander III. id à fortiori dicendum, cum scriptura sacra prohibeat pro alterius vita, posse mentiri. Hinc Psalm. 14. *qui pecuniam suam non dedit ad usuram, dicitur habitaturus in tabernaculo DEI, & requieturus in monte sancto ejus*. Unde etiam Luca 9. habetur: *mutuum date, nihil inde sperantes*. Accedit, quòd si in mendacio dari non possit dispensatio, à fortiori nec dari possit in usuris, ut expressè loquitur Alexander III. in cit. c. 14. usus autem mendacii est indispensabilis jure naturæ; ergo etiam usurarum usus à fortiori, consequenter jure naturali, & divino prohibitus.

1017 Et ratio est; quia jure naturæ iniquum est, ut ex contractu oneroso plus exigatur pro dato, quam datum valeat, hoc præcisè titulo, *quia datur*, sed in hoc consistit usura merè lucrativa, cum scilicet pacto inito exigatur lucrum ex mutuo præcisè *vi mutui*; ergo usura merè lucrativa iniqua, consequenter jure naturali prohibita est. Unde omnino negandum venit, dationem pecuniæ, v. g. centum, factam alteri, *secluso alio titulo, quam quòd alteri detur*, plus valere, quam præcisè centum. Rationem hujus dat Esparza l. 8. q. 46 a. 5. quia res usû consumptibiles non habent majorem utilitatem, si possideantur brevi, quam si possideantur diu, si secludas utilitatem, quam præstat possessio eo tempore, quo tibi eorum usus est opportunus, & hic & nunc commodus; ergo si tibi ultra fortem solvatur ea utilitas, quâ te privas alteri mutuando, non est ullus titulus aliquid ultra fortem exigendi, nisi præcisè *titulus mutui*, in commutatione autem plus exigere, quam res valent, ex natura rei iniquum est; ergo. Ex quo

colliges, utilitatem pecuniæ, quâ talis, non esse nisi pro unico actu, quo distrahitur, reliquo tempore, quo servatur otiosa, nullam habere utilitatem pretio æstimabilem, adeoque ex diversitate temporis, quo quis possidet, & alter non possidet, si supponamus, nullum cessare lucrum, nullum emergere damnum, nec periculum imminere mutuanti, non præstare ullum titulum exigendi aliquid ultra fortem.

Dices 1. in rebus, quæ usû non consumuntur, usus alteri concessus, est pretio æstimabilis, licet alter concedens retineat dominium, & ipse usus non fuerit; quia is, cui conceditur usus rei, ex hoc habet commoditatem; ergo pari modo poterit aliquid in mutuo exigi ultra fortem pro speciali commoditate, quam à me accipit mutuarius ex pecunia, & ejus usû. Confirmatur: res, ac ejus usus plus valet, quam sola res; ergo qui dat centum, ac ejus pecuniæ usum, plus ex justitia potest exigere, quam tantum centum.

2. C. ant. N. conseq. ad prob. anteced. 1018 dist. ideo in priori ipse etiam usus rei usû non consumptibilis (etiam ut distinctus à re) est pretio æstimabilis, quia is, cui conceditur talis usus rei, habet commoditatem ex tali usû, *re adhuc manente alienâ C. re propriâ ipsius utentis*. N. ant. in consequenti autem usus rei mutuo datæ est usus rei utentis propriæ. Ad confirmat. 2. antecedens verum esse, si usus maneat usus rei alienæ; pro usû autem rei meæ, injustè alius exigit pretium. Qui autem dat mutuum rem, constituit hanc sub meo dominio, unde tali casu utor *re meâ, non alienâ*, quando utor pecuniâ mutuata: ergo, qui eam mihi mutuo dedit, non potest plus, quam datum sit, à me justè exigere propter usum pecuniæ. Hinc universaliter notandum, *aliud esse*, cum quæritur, an liceat pacisci aliquid ultra fortem manendo *intra terminos mutationis*; aliud egrediendo *terminos mutationis*, & accedendo ad contractum, quo se quis obligat, ad lucrum cessans, vel damnum emergens. Manendo in puro statu mutationis (quoniam scilicet attendatur pecunia præsens in ordine ad commodum, quo se privat mutuans, quod habere posset ex ea præsentem, vel periculum, quod subit in recuperanda pecunia) pecunia præsens nihili utilitatis explicat, pretio æstimabilis, sive sit apud mutuante[m], sive apud mutua-

mutuatarium, siue sit numerata, siue numeranda, secus est, si attendatur illud commodum, periculum, aut quid simile; sed sic non statim *intra terminos præcisæ seu puræ mutuacionis*.

1020 Dices 2. si verum est, quod mutuatio pecuniæ non sit pretio æstimabilis ultra solutionem fortis, poterit quis absque usura mutuare centum cum obligatione post annum solvendi centum, & alia centum *remutuandi*, stando *intra terminos præcisæ mutuacionis*: quia recipiens centum, quæ mutuo dedit, & alia centum mutuo accipiens, nihil acciperet ultra sortem. Nam hæc *remutuatio (stando intra terminos præcisæ mutuacionis)* non habet aliquid utilitatis pretio æstimabilis, quo mutuans se privat, ut ponit casus. R. et si ex hoc præcisè, quod pecunia sit *otiosa* apud mutuantem, vel mutuatarium, non fiat pretiosior, si stemus *intra terminos puræ mutuacionis*; quia tamen *obligatio remutuandi* (consequenter curandi, ut habeat, quod reciprocè mutuet, & suam pecuniam exponat periculo, salvam, vel sine damno, recipiendi, quod naturâ videtur inesse mutuo) pretio æstimabilis est, rectè sequitur *mutuantem cum tali obligatione* ultra solutionem fortis, jam ultra sortem aliquid recipere, si superaddat obligationem remutuacionis. Quare nego sequelam.

1021 Dices 3. Quando celebratur contractus mutui, fit inæqualitas inter id, quod datur, & à mutuante recipitur sic, ut mutuans plus det, quàm à mutuatario recipiat; ergo ultra sortem licitè potest aliquid exigere, quo fiat æqualitas. Ant. prob. Mutuans, *de præsentì* dat centum; mutuatarium *de præsentì solùm dat obligationem solvendi centum de futuro*, talis autem obligatio minoris est, quàm centum de præsentì: ergo. R. N. ant. stando *in terminis præcisæ mutuacionis*. Ad prob. datâ majori; N. min. stando *in terminis puræ mutuacionis*, ut constat ex dictis.

§. 2.

An sit usura aliquid in mutuo pacisci, ultra sortem, titulo damni emergentis?

1022 Non est dubium, multum interesse mutuantis, si cum mutuo conjungitur damnum, vel lucri cessantis, vel etiam damni emergentis. Hoc enim titulo fors, seu datum, evadit æstimabilius,
Tom. V.

quam sit eo secluso. Unde pretium, quo æstimatur ejusmodi damnum, *interesse* vocari solet. Not. autem, quod nomine *damni* etiam *utilitas amissa* veniat, per L. cum Prætor, ff. de V. S. Coeterum *lucrum cessans*, & *damnum emergens* inter se differunt; illud enim consistit in non acquirendo, istud in jactura jam acquisitorum. Frequenter enim contingere potest, quod quis carere debeat incremento lucri, quod obtinere potuisset, si pecuniam suam retinuisset; vel expensas cogatur facere in sorte recuperanda per lites &c. quo casu jactura illius incrementi est *lucrum cessans*, & expensæ causatæ, *damnum emergens*, quo posito:

Quæstio est, an *citra vitium usurae*, 1023 deduci possit in pactum illud ipsum interesse, seu pretium damni emergentis, quod mutuans subire cogitur mutuando, esto sit ultra sortem, præcisè acceptam? R. affirmativè; ita S. Thomas. 2. 2. q. 78. a. 1. ad 2. & communis. Ratio est; nam onus obligationis ad carendum pecuniâ suâ cum tali damno, est pretio æstimabile; ergo se obligans ad illud sustinendum sub conditione, *si mutuatarium ultra sortem promittat solvere interesse*, seu pretium, quod valet ejusmodi damnum, non quarit hoc lucrum ex titulo *mutui præcisè*, sed titulo damni; ergo non est pactum usurarium. Not. tamen, posse considerari aliquod discrimen inter mutuantem *suâ sponte*, & inter mutuantem *ex alterius requisitione*; cum enim mutuanti damnum aliquod evenire possit, antequam terminus solutionis veniat, dubitari potest, an exigere ultra sortem, ac interesse ordinarium, quod mutuo inest, si tunc patitur gravius damnum emergens, ejus compensationem justè à mutuatario exigat? Respondet probabilis Cardinalis de Lugo D. 25. de Justit. S. 6. n. 74. & cum eo Haunold. tom. 3. de Jure & Just. tr. 9. n. 391. si hoc ipsum non est deductum in pactum, *negativè*. Nam tali casu mutuans sibi adscribere debet, quod de illo expressè non caverit. Nam, cessante morâ saltem injustâ, non est locus *interesse*. Ex hoc sequitur, idem dicendum in casu, quo mutuans ex eo pateretur damnum, quod in tempore non fiat solutio fortis, sine culpa mutuatarium Theologica. Sic Haunold. cit. Nam damno alteri secuto ex actione mea, *non injusta Theologicè* (nisi aliud sit deductum in
Ec 2 pa

paſtum,) non teneor præſtare compenſationem; quia tali caſu nec obligat res alteri accepta, nec iniuſta acceptio, quæ ſunt radices iuris alieni ad æqualitatem realem reducendi, ſi lætum ſit.

§. 3.

An ſit uſura, paſſiſci aliquid in mutuo ultra fortem, titulo lucri ceſſantis?

1024 **R** Ef. ſi pretium, ſeu valor lucri ceſſantis, mutuanti naſcentis ex mutuo, deducatur in paſtum (licet ſit ultra fortem) ſic paſſiſci non fore uſuram. Ita Cardin. de Lugo cit. n. 953, & communis. Nam in tali caſu, lucrum ultra fortem in mutuo, non provenit *vi mutui præciſe*, ſed *vi oneris*, pretio æſtimabilis, cui in commodum mutuatarii ſe ſubiicit mutuans.

1025 Not. autem. 1. ut *aliquid exigere ultra fortem* titulo damni emergentis, vel lucri ceſſantis, ſine uſura, atque adeo licite fiat, requiri, quod mutuum ſit *cauſa illius damni*, vel *jaçtura lucri*, hoc eſt, quod ideo ceſſet lucrum, quia pecuniam, quæ illud ceſſiſſet, mutuo dedit. Sic Leſſius l. 2. c. 20. d. 11. aliàs deficeret titulus, ob quem tale lucrum juſtè peti poſſit à mutuatario. Not. 2. requiri, ut non exigatur, vel accipiatur plus, ratione lucri ceſſantis, quam ſpectatis omnibus circumſtantiis, arbitrio prudentum, illud valeat, & æſtimetur; aliàs exceſſus jam eſſet *vi mutui*, vel ſaltem cum iniuſtitia, *vi jaçtura*, quæ non eſt. Not. 3. requiri principaliter ad juſtitiam lucri ceſſantis, ut intereſſe lucri ceſſantis non anticipatò, ſeu ſtatim ſolvatur; ſed in termino, quo ſolvendum eſt ipſum mutuum, ſeu fors accepta. Si enim mutuo dans 1000. aureos, ex his, titulo lucri ceſſantis, ſibi reſervet 100. & ſolum 900. det mutuatario, nullum lucrum ipſi ceſſaret, & tamen, titulo lucri ceſſantis, 100. ex mille exigeret; aliud eſt, ſi rem non frugiferam, valentem tamen 100. mutuatarius daret; ſic enim adhuc maneret lucrum ceſſans. Azor. p. 3. l. 5. c. 5. q. 3. in fin.

1026 Not. 4. Lucrum ceſſans, non minus, quam damnum emergens, venire nomine *damni*. Nam reverà, etiam teſte gloſſa in L. *Non amplius*, ff. de Legat. 1. *damnum patitur, qui perdit lucrum*, & in L. 13. ff. *Ratam rem haberi*, æquè ac illud, vocatur *intereſſe*; ibi: *ſi commiſſa eſt ſtipulatio, in tantum competit, in quantum meà interſuit*, id eſt, quantum mihi abeſt, quantumque

lucrari potui: apertius L. *unica*, C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt, proferuntur, ibi: *& hoc non ſolum in damno*, ſed etiam *in lucro* noſtra amplectitur conſtitutio, quia ex eo Veteres id, quod intereſt, ſtatuerunt. Not. 5. *pecuniam*, propter occaſionem negotiandi, & lucrandi, plus valere, quam *ſecundum ſe præciſe*; unde ſi mutuans propterea aliquid ultra fortem accipit, non exigit illum exceſſum fortis (ſtando intra terminos præciſe mutationis) adeoque non committit uſuram paſſiſcendo ſolutionem ejus ultra fortem.

Not. 6. Licet in L. 21. §. 3. ff. de action. empt. dicatur, *non venire in compenſationem lucrum extrinſecum*. Emptori ceſſans ex eo, quod venditor *iraditionem rei emptæ non fecerit, ſed tantum lucrum intrinſecum*; non æquè idem inferri in mutuo, & aliis contractibus. Nam in his debetur etiam lucrum extrinſecum. Quod enim ibi dicitur, eſt ſpeciale in materia contractus *emprionis, & venditionis*, ubi emptor & venditor pari jure gaudet, quin emptor teneatur venditori ad lucrum ceſſans ex mora non ſoluti pretii, adeoque viciffim.

Not. 7. Fundamentum, ex quo, citra labem uſuræ, licet paſſiſci aliquid ultra fortem titulo lucri ceſſantis, deſumi ab eo, quod cuius competat jus, ſervandi ſe indemnem, adeoque poſſit juſtè paſſiſci compenſationem, ut in ſe ſuſcipiat onus, & obligationem tolerandi eventum indemnitati noxium, ſi à mutuo cauſetur: at jaçtura lucri ceſſantis propter mutuum, eſt eventus indemnitati mutuans noxius; cum illi revera faciat damnum ex n. 1026. ergo.

Not. 8. Non obſtare pacto ſolvendi lucrum ceſſans ex mutuo, licet mutuans habeat aliam pecuniam, quæ negotiari poſſet, & lucrum illud facere, quam relinquit otioſam ex cauſa juſta v. g. *ut eà uti poſſit in caſibus non præviſis*. Sic enim in re lucrum illud adhuc ipſi ceſſat *vi mutui*. Ita Haunold. cit. tom. 3. tr. 9. n. 400. id, quod apud eundem procedere vult Cardin. Lugo, eſto aliam pecuniam relinquat otioſam etiam ſine tali cauſa. Lucrum enim, quod facere poterat cum pecunia mutuo data, adhuc ceſſat *vi mutui*, licet lucrum, quod reſpondet pecuniæ, quam relinquit otioſam, non cauſetur à mutuo, ſed ejus negligentia, quod eà uti noluerit.

Not. 9. Dubitari, an ſi quis de indu-

ſtria

aria servet pecuniam (cum qua aliàs negotiando lucrum fecisset) eo animo, ut datâ occasione, illam dare mutuo possit, cum mutuum facit, possit nihilominus pacisci, ut sibi solvatur interesse lucri cessantis? Videtur enim, quòd non; quia quando talis pecunia mutuo datur, jam cessavit lucrum antecedenter ex omiâ negotiatione; ergo illius lucri cessantis causa non est mutuum; at lucrum cessans, sed non ex mutuo, mutuans non exigit licitè à mutuario: ergo. *re.* lucrum cessans ante factam in re mutuacionem pecuniæ, non causari à mutuo, secundum quod hæc mutuatio est illo posterior; bene tamen, secundum quod mutuum antecedit ipsam lucri cessacionem. Quando autem quis omiâ negotiatione (unde cesset lucrum) servat pecuniam, ut opportunè illam dare mutuo possit, mutuatio est finis, & cessatio lucri ex prætermissa negotiatione est medium; finis autem in genere causæ finalis, & intentione, in sui cognitione antecedit medium; ergo adhuc etiam lucrum illud, quod cessavit de præterito, causari potest finaliter à mutuo, licet realiter posteriore.

1030 Confirmari potest exemplo, quod affert cit. Cardinalis de Lugo. Nam ubi habentur montes pietatis, licitè aliquid ultra sortem exigitur in mutuo pro expensis in Ministros; & tamen hæc expensæ fiunt, antequam datur mutuum. Quòd licitè in dicto casu aliquid exigatur, constat ex eo, quòd id fiat approbante summo Pontifice; quòd autem ex hoc ad priorem casum rectè arguatur, ex eo constat; quia sicut illæ expensæ exiguntur ultra sortem in gratiam pauperum, qui mutuum petuntur sunt, sic in gratiam aliorum pariter postulaturorum mutuum, fit omiâ negotiationis. Id tamen universum tenendum est, ut quod ultra sortem titulo lucri cessantis in pactum deducitur, non excedat spem lucri, ex negotiatione faciendi, si non daretur mutuum, definiendum non cupiditate, sed arbitrio prudentum.

S. 4.

An in mutuo, titulo lucri cessantis, sed incerti, liceat pacisci de certo, ultra sortem?

1031 Videtur negandum 1. propter constitutionem Pii V. qui anno 1571.

prohibuit taxationem certi pro incerto; 2. propter S. Thomam, qui q. 13. de malo, à 4. ad 14. videtur negare, quòd liceat in mutuo ultra sortem aliquid pacisci titulo lucri cessantis, etiamsi mora causa esset. Affirmativa tamen, quam sequitur Covarruv. l. 3. Variar. c. 4. n. 5. Navarrus in summa c. 17. n. 361. & complures alii, videtur probabilior. Nam lucrum, quod quis faceret negotiando cum sua pecunia, est pretio æstimabile; & licet incertitudo de quantitate lucri faciendi, minuat ejus æstimationem, non tamen tollit omnem, suppositâ prudenti spe cum incertitudine quanti; ergo prudenter taxatur quantum ejus, & ultra sortem in pactum deducitur, cum sic non fiat vi mutui præcisè, sed vi damni; pretio æstimabilis, cui mutuans se subjicit mutuando.

Ad constitutionem Pii V. respondent alii 1032 qui apud Haunoldum tom. 3. tr. 9. n. 398. non esse usu recepram, extra ditiones Pontificias; alii, eam loqui solum de cambiis, ubi periculum usura frequentius est, adeoque cum pœnalis sit, extendi non oportere. Cœterum dici potest, illam procedere solum in casu, quo certum taxaretur pro incerto generaliter, non consideratis circumstantiis, ex quibus spes lucri faciendi crescit, aut decrescit. Ad S. Thomam *re.* cum loqui de lucro cessante, quando illud erat in potentia planè remota, & multis modis impedibili, ac nullatenus destinata ad negotiationem; Secus, si erat in potentia propinqua, ut contingit apud eos, qui norunt, & solent labore suo, & operâ, pecuniam facere frugiferam. Aliud est, si sola carentia pecuniæ, pertempus contentum in mutuo, pretio taxaretur, & ultra sortem deduceretur in pactum mutuacioni adjectum, sine respectu ad lucrum cessaturum, vel damnum aliud, aut periculum recipiendæ sortis, aliumve talem titulum. Tunc enim omnino illicitum foret; nam sic esset præcisè vi mutui; cum ei intrinseca, & essentialis sit ea carentia.

S. 5.

An sit usura illicita, ratione periculi, cui mutuum exponitur, pacisci aliquid ultra sortem?

Periculum hoc tenere se potest vel ex parte rei mutuatae, vel ex parte mutuatae.

Ec 3

tuata.

tuatarii; *ex parte rei*, ut si per mare, vel vias periculosas transportanda sit; *ex parte mutuatarii*, ut si hic sit morosus, vel periculosus, aut fraudulentus debitor, & inde fiat, debere quæri debitum viis molestis, per lites, processus, &c.

1034 Resp. Posito contractu mutui, licitè adjici pactum aliquid solvendi ultra fortem, ratione periculi tenentis se ex parte rei mutuatariæ, si verè subsit, aut prudenter timeatur; & mutuans in se suscipiat; hoc enim mutuanti onerosum, & mutuatario commodum est. Unde illud ultra fortem non exigitur, vi mutui, sed vi alterius pacti, quo mutuans se obligat mutuatario, ad illud sibi onerosum, & ipsi commodum, ultra fortem. Sic Lugo D. 25. S. 6. n. 76. Azor p. 3. l. 5. c. 6. q. 1. & hoc pactum vocatur *affecurationis*. Posito autem contractu mutui, licitè adjicitur pactum, aliquid solvendi ultra fortem, ratione periculi tenentis se ex parte mutuatarii. Nam obligare se ad subeundum hoc periculum, est quid pretio æstimabile, independentè à forte; ergo pretium æquivalens alio titulo, & non vi mutui præcisè exigitur; ergo non est usurarium. Ita Lessi. l. 2. c. 20. dub. 13.

1035 Nec obstat, quod in c. *Naviganti*, h. t. dicitur: *naviganti, vel eunti ad mundinas, certam mutuans pecunie quantitatem, pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra fortem, Usurarius est censendus*. Nam omittis aliorum hujus capituli interpretationibus respondet Layman l. 13. tr. 4. c. 15. n. 12. & cum eo Barbosa in cit. c. n. 2. debere intelligi de casu, quo simpliciter mutuatur, & non expressè celebratur *pactum affecurationis*, eo, quod tali casu periculum præsumatur potius pallium usuræ, & quidam solus prætextus palliandi usuram. Alii dicunt, omnino in tali casu usuram committi, si detur mutuum sub conditione, quod mutuatarius obliget se ad solvendum pretium affecurationis; cum illud sit novum onus mutuatario, pretio æstimabile, inhibitum in contractu mutui. Sic Lessius cit. n. 116. Pirhing hic n. 48. sed hoc periculum nec ex parte fortis, nec ex parte mutuatarii est necessariò inhibitum in natura mutui, ut sic.

1036 Si quæras, an sit usura illicita, pacisci penam à mutuatario solvendam, si statuto tempore non solvat fortem? R. triplicem esse penam, 1. *Legalem*, quæ lege, vel

statuto imponitur; 2. *Judicalem*, quæ imponitur per Judicem; 3. *Conventionalem*, quæ statuitur mutuo partium consensu, & conventionem; & de hac quæstio procedit, respondereturque, *negative*: quia tunc lucrum poenale, quod solvitur ultra fortem, non vi mutui, sed vi culpæ, seu culpabilis moræ, à mutuatario admittæ, exigitur. Sic Azor p. 3. l. 5. c. 6. q. 5. Lessius cit. c. 20. dub. 15. Not. tamen, non licere hoc poenale pactum in fraudem usurarum; nimirum *uendo titulo pæna*, ad palliandum lucrum usurarium, quod mutuando intenditur; Sic Lessius cit. n. 111. Deinde, requiri, ut intercedat vera culpabilis mora mutuatarii, & poena non excedat culpam, ac mora sit notabilis &c. Coeterum etsi poena legalis, & judicialis solvenda sit, non nisi post sententiam Judicis; secus tamen est de conventionali, utpote statuta consensu partium; sic Lessius n. 136. saltem altero solutionem exigente; cum moribus hominum non satis consentaneum sit, ut poena solvatur ante executionem. Sic Azor q. 5.

§. 6.

An sit pactum usurarium, restituendi rem mutuam in eadem mensura, & bonitate, licet postea pretium ejus decreverit?

R. Esp. 1. non esse usurarium pacisci, 107 ut, si dem tres v. g. scaphas tritici, totidem in eadem bonitate solvantur post annum, si tempore mutationis æquè incertum sit, quòd interim rei pretium crescet, vel decrescet. Nec etiam, ut pro tribus v. g. scaphis frumenti, mihi præfixo termino ejusdem bonitatis frumentum reddatur secundùm præsentem valorem, stante illà incertitudine; sic de utroque casu Lugo tom. 2. de Just. D. 27. S. 7. n. 112. & alii communiter; quia in dato casu, par est utriusque conditio, & quoad periculum, & quoad lucrum cessans; & lucrum non vi mutui, sed per accidens ex casu fortuito pretii crescentis, vel decrescents sequitur. Si autem mutuans aliàs rem suam servasset ad tempus, quo rei pretium crevit, licitè aliquid exigitur ultra fortem, ratione lucri cessantis, ut dictum est in præced. Et ideo etiam licitè deducitur in pactum solutio illius sub conditione, si res interim in valore cresceret, in hoc casu; sic Lugo n. 133.

1038 R. 2. Mutuantem licite pacisci de solvendis præfixo tempore duabus, si prævidit, probabiliter unam scapham tempore solutionis valituram tantum unum imperialem, quando, dum ipse mutuavit unam duntaxat scapham, hæc valebat tres florenos. Ita Lessius cit. c. 20. d. 17. n. 146. quia tunc non formaliter, sed tantum materialiter recipit plus. Hanc resolutionem habere locum in casu, quo mutuans aliàs illud venditurus erat, non est dubium; quia sic intervenit lucrum illi cessans, ex vi mutui. Illam autem extendit Pirhing n. 55. etiam ad casum, quo illud mutuans vel consumpturus erat, vel servaturus ad tempus pretij decrefcentis; quia etiam tali casu non reciperet plus formaliter, quam dederit, nimirum non plus quoad valorem, seu estimationem.

1039 R. 3. Illicitam usuram esse, dato mutuo debitorem obligare, ut prius non solvat mutuum, quam ejus valor crescat; quia sic auctum pretium ultra valorem rei, quam, cum daretur, habuit, non alio titulo, quam mutui reciperet. Sic Lugo cit. n. 116. Unde si triticum valet tantum unum florentum, eo tempore, quo mutuatur, usurarium est pactum, ut in eadem mensura, & bonitate solvatur tantundem, si vel moraliter, vel probabiliter certum sit, illud tempore solutionis, plus quam modo valiturum; quia sic deberet plus formaliter reddi, quam mutuo datum sit. Lugo cit. S. 7. à n. 119.

1040 R. 4. Si in contractu mutui non fuit prævisum, quod rei pretium augebitur, vel minuetur, nec super hoc eventu aliquid in pactum deductum sit, præsumi, quod intentio contrahentium fuerit, ut juxta conditionem, & naturam mutui, res mutuata reddatur in eadem specie & bonitate, sive pretium creverit, sive decreverit. Sic Lugo cit. n. 123. quia nisi aliter expressum sit, in dubio præsumitur, eos contraxisse naturam mutui. Si autem quæras, quid tenendum sit in casu, quo mutuans prævidit, rei valorem augendum, vel minuendum, nec super hoc aliquid deductum est in pactum? R. quod præsumantur contraxisse eam intentionem, ut si prævisum est, quod res crescat, vel decrefcat, reddatur eadem non secundum mensuram & bonitatem, sed eadem secundum valorem; quia sic solum salvatur, quod dans mutuum non recipiat plus formaliter ultra

fortem; nec mutuarius solvat minus formaliter, infra fortem.

S. 7.

An excuset ab usura; quod pecunia præfens detur pro futura?

R Esp. cum, qui à mutuario aliquid exigit ultra fortem hoc præcisè titulo, quod det pecuniam præfentem pro futura, committere usuram; Sic Cardenas supr. cit. differt. 25. in propositiones prohibitas ab Innocentio XI. à n. 1. ubi ait, hanc propositionem (cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præfentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra fortem exigere à mutuario, & eo titulo excusari ab usura) formalissimis terminis esse traditam à Caramuele, sed jam damnatam ab Innocentio XI. propositione 41. quia sic lucrum ultra fortem exigeret vi mutui præcisè, non vi lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi. Si enim uno ex his titulo exigeret, non exigeretur præcisè ob id, quod pecunia præfens melior sit futura, quia hoc falsum est, præcisè illis titulis, ex dict. n. 1017.

Neque dicas cum Caramuele l. 2. 1042 Theol. moral. D. 14. n. 362. apud Tambur. in Decal. l. 8. c. 8. tr. 3. S. 7. dari alium, eumque distinctum titulum ab illis, exigendi eo casu lucrum ultra fortem. Nam sicut est aliqua recreatio in videndis rebus pretiosis, in videnda comœdia; & raris bestiis, ac ob id licite datur, & accipitur pecunia; sic erit recreatio in possidendis pecuniis, quâ recreatione se spoliât mutuans, & subit molestiam eâ carendi; ob eam igitur molestiam credit, posse aliquid ultra fortem exigere. Verum hæc doctrina passim rejicitur, ut videri potest apud Dicastill. & Tambur. cit. quia sicut illa recreatio in mero aspectu pecuniæ, sic molestia ex ejus carentia, est tantum avarorum, & gaudium, ac molestia imprudens, & frivolâ.

Ex hoc colliges 1. pactum, aliquid ultra fortem dandi, & accipiendi, propter carentiam pecuniæ, seu pro eo, quod quis suscipiat obligationem, pecuniam mutuo datam, non reperendi ante terminum, esse usurarium. Sic Less. l. 2. c. 20. d. 14. n. 127. quia talis obligatio est essentialis, & intrinseca mutuo, quod debet esse gratuitum, hoc est, salvâ justitia solum exigit tantum

tum reddi, quantum datum est; alijs excederetur æqualitas dati, & accepti. Colleges. 2. usurarium esse pactum mutuo adjectum, quo mutuarius obligetur vi mutui, ut vicissim mutuet sibi mutuanti, quia sic vi mutui ultra sortem mutuarius subiret gravamen pretio æstimabile. Sic Lugo tom. 2. D. 25. S. 5. n. 50.

§. 8.

An sit usura, fructus pignoris non computare in sortem?

1044 **S**ermo est de fructibus, qui excedunt sortem, expensas, & lucrum, quod ultra sortem exigere licet; quo posito. & fructus pignorum in sortem principalem non computare, sed sibi reservare, præter casus exceptos, usuram esse illicitam, ex c. 1. de usuris, ibi: si quis alicujus possessionem datâ pecuniâ sub hac specie (vel conditione) in pignus acceperit, si sortem suam (deductis expensis) de fructibus jam percepit, absolute possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto possessio liberè ad dominum revertatur. Quod si post hujusmodi constitutum in Clero quispiam extiterit, qui *desistendis usurarum lucris insistat* (nimirum ultra sortem suam, expensas, & lucrum justè debitum, aliquid de fructu pignoris retinendo) *Ecclesiastici officii periculum patiatur*. Idem dicitur c. quoniam 2. & conquestus, 8. h. t. ibi: *mandamus, quatenus, si terram ipsam titulo pignoris detinetis, & de fructibus ejus sortem recipitis, prædictam terram, Clerico memorato reddatis, nisi terra ipsa de feudo sit vestri Monasterii.*

Not. autem per fructus intelligi, quod *superest deductis expensis*, ut cum communi docet Barbosa de Appellativis, appellat. 103. n. 22. & cum dicimus fructus domino pignoris restituendos, intelligimus de his, qui servari possunt usque ad tempus, dum restituendum est pignus; secus enim pignoratarius eos vendere potest, & pretium redde-
dere domino.

1045 Dixi: *præter casus exceptos*; primus est, si Clericus à Laico acceperit in pignus possessionem Ecclesiæ, quæ tali Clerico data fuit in beneficium; quia sic fructus ultra sortem percipit ex suo, non alieno. Constat ex cit. c. 1. h. t. ibi: *nisi forte Ecclesia beneficium fuerit*, quod redimendum ei hoc modo de manu laici erat. Secundus: si pignus sit de terra, vel feudo monasterii,

cui in servitutum datum est, ut habetur in cit. c. *Conquestus*, de quo num. præced. Ratio est eadem. Tertius est de genere, qui non tenetur fructus pignoris recepti loco *dotis non soluta* in sortem computare; quia dote non solutâ, censetur pars dotis ad sustinenda onera matrimonii, c. *Salubriter*, h. t. Sic Castropalaus, n. 7. Sed hoc limita ad solum tempus durantis matrimonii. Ita ille p. 20. Quartus est, si vassallus feudum proprietario tradat in pignus debiti, remissa pensione annuâ, ut colligitur ex c. 1. de feudo, & c. *conquestus*, de usuris: quod Castropalaus p. 22. extendit etiam ad pignus emphyteuticum; non autem, usufructuarium, vel usufructuarium.

ARTICULUS. III.

De usura in emptione & venditione.

Si sterna in definitione usuræ, quæ dicitur *lucrum quasi ex mutuo*, in emptione, & venditione non videtur habere locum, ut colligitur ex c. 10. h. t. ubi tales dicuntur *quasi Usurarii*, & c. *In civitate* 6. h. t. ubi, postquam refertur hic casus: *in civitate tua dicitis, sæpe contingere, quod, cum quidam piper, seu cinnamomum, seu alias merces comparant; quæ tunc ultra quinque libras non valent, promittant se illis, à quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto tempore soluturos*; respondet Pontifex; *licet contractus hujusmodi ex tali forma non possit censeri, venire nomine usurarum*: quia tamen etiam in hoc contractu, sæpe sine justa causa, lucrum injustum quæritur, ex sola dilatione temporis, ex pecunia præsentis pro futura: ideo etiam ejusmodi lucrum *usura nomine* comprehenditur, & dicitur *usura interpretative*, seu *virtualiter*, ut notant Doctores apud Pirhing, h. t. n. 59. his præmissis:

Quæres 1. An sit usurarium, rem pluris vendere, quam valeat, eò, quod differatur solutio pretii? & seclusis alijs ritibus, solam pretii dilationem, non excusare ab usura; quia venditor in hoc casu plus *formaliter* acciperet, ac exigeret, quam det; ita colligitur ex c. *in civitate*, de quo n. præced. ubi, postquam dicitur, hujusmodi contractum non posse censeri *nomine usurarum*, intellige formalium, statim subjungitur: *nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit, merces illas plus, minusve in solutionis tempore valituras. Et ideo civis tui saluti sue bene*

bene consulerent, si à tali contractu cessarent, cum cogitationes hominum Omnipotenti DEO nequeant occultari, id quod etiam habetur in c. consului. 10. eod. Dixi seclusis aliis tizulis, v. g. periculi, damni emergentis, lucri cessantis, Nam his concurrentibus augetur aestimatio rei datae. Confirmatur ex c. 10 h. t. infra referendo.

1048 Et ideo etiam Lessius l. 2. c. 21. d. 6. & alii docent, non esse licitum, eo solum pretextu, seu titulo, quod creditò res vendatur, pluri credito, quam numerato vendere, nimirum supra pretium legitimum, & summum, quia talis venditio in re continet usuram virtualem, cum perinde sit, ac si dares mutuum, ut ad certum tempus redderetur plus formaliter. Ex dictis iuribus colliges, quod licet lucrum ultra sortem acceptum ex eiusmodi venditionis contractu, dicatur, non posse censeri nomine usurarum, id quidem verum esse, de usura formali, seu lucro ultra sortem, in mutuo precise vi mutui, non tamen interpretativa; cum ibidem talis acceptio lucri non excusetur à peccato usurae, nisi, cum dubium est, de valore, quem merces habiturae sunt in termino solutionis.

1049 Queres 2. An sit usura minoris emere chirographa debitorum? R. ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, aut periculi, licitum esse chirographa debitorum minoris emere. Sic Card. Lugo, tom. 2. de Just. d. 26. f. 7. n. 93. Cardenas supra cit. c. 3. n. 28. quia ratione talis circumstantiae decrevit pretium chirographi, quo compensatur damnum. Hac responsio procedit 1. siue chirographum sit maturum siue immaturum, sic Castropal. de Just. commut. d. 5. p. 13. à. n. 4. Hinc dare 95. pro chirographo valente 100. licitum est, si aestimatio damni, periculi, vel lucri cessantis, quod ponitur intervenire, valet quinque. Nam sic pretii, & mercis venditae servatur aequalitas. Procedit 2. si debitum sit litigiosum & incertum. Nam ex hoc decrevit ejus pretium, propter periculum, cui se committit Emptor. Procedit 3. si tibi, qui non es causa, quod debitum difficilius acquiratur, venale proponitur; quia merces ultroneae vilescunt; & ratione difficultatis in acquirenda debiti solutione hoc minoris valet, licet tibi sit acquisitu facile per accidens, ratione gratiae, qua polles apud debitorem, vel similes circumstantias; secus, si tu sis cau-

Tom. V.

sa difficultatis in acquirenda solutione. Sic Castropal. cit. n. 8. Layman l. 3. f. 5. tr. 4. c. 17. §. 5. n. 34. Nam in tali casu diminutio pretii per tuam injustitiam causatur.

Dices: ergo etiam, seclusis circumstantiis praedictis, licebit plus exigere, dando pecuniam numeratam, & praesentem, pro non numerata, & futura. R. Cum pecunia praesens majoris aestimetur, quam futura; quia minus est actionem habere, quam rem. L. minus. ff. de Regul. Juris. 2. Quia, qui dat terram sterilem, pro terra frugifera, minus dat, quam accipiat: sed sic se habet accipiens de praesenti 100. pro solvendis 100. post annum; quia sic alteri dat jus sterile, toto anno, usque ad terminum solutionis. R. Negando illatum, cum sua probatione, si secludas circumstantiam, damni emergentis, lucri cessantis, & periculi. Quare si pecunia precise consideretur, seclusis illis circumstantiis, pecunia praesens non est pretiosior futura. Sic Cardenas cit. c. 2. à 21. Sic enim perinde se habet, quam, si dans alteri centum, eadem servasset in suo scrinio, ut diximus supr. n. 1017.

Ad primam prob. R. cum Castropal. cit. n. 7. illam juris regulam intelligi de actione, litigiosa & periculosa. Nam haec minus valet, quam res ipsa; non autem de actione liquida, & periculo non exposita. Ad 2. prob. R. vel dans terram actu frugiferam, pro terra, quae primum post annum erit sterilis, patitur ex hoc aliquod damnum, vel non? ut si aequè illa non uteretur, ac si foret sterilis. Si primum? non manemus in casu secludente circumstantiam lucri cessantis. Si secundum? adhuc discrimen est, quia pecunia (sicut & jus) semper est ex se sterilis, adeoque non potest incrementum valoris accipere, ex eo, quod hominis industria lucrum parere possit; secus est de terra, quae aliquando est sterilis, aliquando frugifera.

Præterea notandum, verum esse, quod pretium justum aequivalet rei venditae, quando pretium omnino respicit substantiam rei venditae; non autem, quando circumstantias. Hinc cum chirographum centum aureorum propter circumstantias lucri cessantis, vel emergentis damni, in valore decrescat, pretium centum aureorum excedit valorem chirographi, adeoque justum erit, licet minus

ff

sit,

fit, nimirum, juxta æstimationem periculi, damni. &c.

ARTICULUS IV.

De usura in emptione, & venditione censuum.

1053 **C**ensus hic accipitur pro jure percipiendi annuum redditum vel pensionem, ex re, vel persona alterius. *Contractus*, quo tale jus emitur, & venditur, *censualis* dicitur; qui emit, seu pretium dat pro illo jure; *Censualista*: qui accipit, & se obligat ad illum redditum quotannis persolvendum, *Censuarius* vocatur. Not. autem illum ipsum redditum annuum etiam appellari censum. Census variè dividitur. 1. Ratione modi, quo constituitur in *reservativum*, & *consignativum*. 2. Ratione temporis, quo pensio solvi debet, in *perpetuum*, & *temporalem*. 3. Ratione rei, in *fructuarium*, & *pecuniarium*. 4. Ratione pacti, in *redimibilem*, & *irredimibilem*.

1054 *Reservativus* est, cum quis dominium etiam directum rei suæ transfert in alium, reservato sibi jure annuæ pensionis ex illa percipiendæ quotannis, vel in pecunia, vel in fructibus, vel alio æquivalente. *L. ult. C. de rerum permut.* *Consignativus* est, cum quis certo pretio emit, jus exigendi, & percipiendi pensionem aliquam quotannis ex re alterius. v.g. ex agro alterius, Scapham frumenti, vel ejus valore. Hinc census, si constituitur in certa re frugifera v.g. *domo, agro, vinea*, ut hoc onus incumbat rei, ad quemcunque possessorem transeat, dicitur *census realis*; si autem constituitur in certa persona, ut hæc ratione sui, non autem rei, obligetur, dicitur *personalis*; si in re, & persona, vocatur census *mixt.* Et quia census *consignativus* constitui potest cum onere pensionis annuatim solvendæ, vel solum ad certum tempus v.g. ad decem annos, quibus elapsis expiret; vel in perpetuum, sic ut transeat ad hæredes Censualistæ, ac Censuarii; ideo alius est *temporalis*, alius *perpetuus*. Contingit autem sæpe, quod contractui censuali, vel nullum pactum reluendi, seu redimendi adjiciatur, vel certè oppositum; ut redimere liceat, vel venditori, si reddat pretium; vel emptori, ut dimisso jure reddatur pretium; vel utrique, idque, vel intra spatium certi ac definiti temporis, vel quandocunque liberit, quo casu census

dicitur *redimibilis*, vel *irredimibilis*, his præmissis:

Quæres 1. an census realis sit usurarius, & illicitus? R. negativè, modò pretium, quo talis census emitur, sit justum, tale scilicet, quod vel lege taxatum sit, vel consuetudine approbatum: Constat ex Extravagante *Regimini* 1. & 2. de emptione, & venditione inter communes, ubi Martinus 5. & Calixtus 3. apud Haunold. tom. 4. de Just. tr. 10. n. 297. ejusmodi census reales, seu contractus censuales, declaravit, justos, licitos, & juri communi conformes. Et hoc procedit non solum de censu reali fructuario, sed etiam pecuniario, temporali, & perpetuo, etiam irredimibili, & redimibili, vel utrinque vel solum ad arbitrium unius, vel semper, vel intra certum temporis spatium.

Quæres 2. an census personalis sit usurarius, & illicitus? Quæstio est, an emptio census merè personalis ob lucrum cessans, damnum emergens, vel periculum, sit illicitus? Affirmant Navarr. de usuris n. 81. Lugo d. 27. S. 2. n. 25. si pretium non adæquat cumulum pensionum solvendarum; quia sic isti essent ducenti floreni; & tu dares solum centum, quod est iniquum. Negativam autem tenet Azor p. 3. l. 10. c. 5. q. 1. Lessius, Layman, & alii cum Pirhing hic à n. 74. docentes, ejusmodi contractum censualem personalem ex natura rei, & seclusà prohibitione legis humanæ, omnino licitum; quia potest quis licitè alteri vendere jus partis fructuum capiendorum ex suo prædio, ergo etiam certæ pecuniæ à se pendendæ. Ratio in contrarium allata instantiam habet in emptione census realis, quem etiam ipsi licitum docent. Not. autem censum personalem non ita posse constitui in persona libera, ut si ea non sit solvendo, creditor possit debitorem vendere, vel servituti subicere, si potest prædium vendi, vel vindicari; quia liber homo non potest pignori dari c. 2. de pignoribus; jus autem census est majus jure pignoris.

Quæres 3. quæ conditiones requirantur, ut licitus sit contractus censualis? R. jure naturæ requiri quatuor; 1. ut constituatur in re frugifera sufficiente ad solvendum onus annui redditus, 2. ut ematur justo pretio, hoc est illo, quod vel lege, vel consuetudine, & his deficientibus arbitrio

prudendum, statutum est, 3. ut res censui subiecta pereat Censualista, si pereat, vel infrugifera in perpetuum reddatur sine culpa Censurarii; secus si tantum ad tempus, & postea rursus referat, quod sufficiat oneri census annui, 4. ne sine consensu Censualista alteri vendatur, à quo difficilius habeatur census. Sed de hoc ex professo lib. 3. Tit. 39. de Censibus.

ARTICULUS V.

De usura in pignoribus & hypothecis.

1058 **P**rima quaestio est de fructibus pignoris, qui excedunt sortem, & interesse debent, an eos non computare in sortem, contineat vitium usurae? Sed ad hanc quaestionem responsum est supra à n. 1044. cum limitationibus sententiam affirmativam restringentibus. Altera quaestio est, an licitum sit pignoribus adiectum pactum antichreos? quo intelligitur pactum adiectum pignori, ut ejus fructus creditor interim tam diu percipiat, & lucretur, donec pignus solutione sortis eliberetur, licet excedat sortem. Sed *re.* omnino illicitum esse; sic Hauld. tom. 4. de Just. tr. 10. n. 928. cum communi Theolog. Nam pactum usurarium ipso jure nullum est, & tara divinis, quam humanis legibus prohibitum, ut constat ex toto titulo de usuris: hoc autem pactum est usurarium, si pignori adiectum sit. Nam usura est, quid quid in, & vi mutui ultra sortem accipitur; sed in dato casu fructus pignoris excedentes interesse debent, acciperentur ultra sortem, vi mutui; cum expresse c. 1. & 2. de usuris dicantur *computandi in sortem, ut caveatur usura*; ergo si secus, eorum perceptio erit usura, & quoniam sit *vi mutui pacto informati*, erit vi mutui.

1059 Dices, 1. licitum esse pactum antichreos propter incertum fructuum eventum, etiam si fructus legitimum usurarum modum interdum excedant, ut constat ex L. si oleo L. si pactione, L. si ea lege. C. de usuris. Verum licet jure civili, ut constat ex toto titulo ff. & C. de usuris, etiam usurae permittantur; non tamen propterea in conscientia licitae sunt; cum certum sit eas peccatum esse. Hinc illa jura nihil probant; cum jus civile non possit in conscientia licitum reddere, quod jure divino, & canonico prohibitum est.

1060 Dices, 2. quod sit praecise juvandi Tom. V.

proximi causam, non est illicitum; ergo si antichreus eo solum titulo contrahatur, non erit illicita: hoc autem saepe contingit, cum proximus graviter eget pecunia; ergo saepe licita est. Sic Andr. Gail. l. 2. observat. 3. n. 5. Verum nego universaliter antecedens; quia quod de se malum est, nec proximi causam licet, alias liceret *mentiri*, cum mendacio à gravi periculo proximus liberari posset. Et quae quaestio est charitas proximi, *praecise titulo mutui* auferre proximo fructus pignoris? cum pecunia per se mutuata, cateroquin otiosa fuisset. Nam si alias otiosa non fuisset, alio titulo licitum est interesse.

Dices 3. fructus illos posse computari in vicem molestiae quam creditor subit in colendo fundo, in credito non simul, sed per vices reputando, quae particularis solutio multa habet incommoda; ergo hoc titulo potest fructus ultra sortem percipere? *re.* non posse; quia contractus initio quidem voluntatis sunt, postea vero necessitatis, ut dicitur L. Sicut de act. & obligat. Hinc creditor sibi debet imputare, quod, cum nullo jure cogere ad mutandum, hanc sibi necessitatem iniecerit, ex fructibus rei pignorate sortem suam colligendi; quamvis & hac molestiam se liberare possit, non recipiendo in se pignus, sed Hypothecae nomine relinquendo debitori, ut notat Canisus cit. hic, n. 24.

Dices 4. in dato casu fructus non perciperentur *vi mutui*; ergo non forent usura. Anteced. pater, quia in dato casu fors non posset revocari, quod est contra naturam mutui. *re.* non percipi vi mutui *nudi*, sed *vestiti* pacto inito propter mutuum, seu mutuacionem praecedentem; hinc cum creditor lucretur fructus pignoris vi pacti, *ut supponentis mutuum*, merito in usuram incidit damnatam c. 1. h. t. ubi Alexander III. ait, *sub genere usurae damnata contineri*, si quis alicujus professionem datam pecuniam accepit, & ubi sortem suam deductis expensis de fructibus jam percepit, possessionem non restituat debitori & c. 2. eod. ubi hoc etiam dicitur de Laicis; item c. 10. eod. ubi Urbanus III. dicit, eum, *quasi usurarium in judicio animarum debere judicari*, qui mutuata eam mente, ut ultra sortem aliquid accipiat; vel vendit rem plus, quam valeat, *quia differt solutionem*. Huc etiam pertinet c. 132. cum sequentibus. 14. q. 3. Idem est, si dicas

dicas donari donatione supponente mutationem precedentem. Mutuo autem non obest contrahi ad certum tempus, & in diem certum, atque adeo irrevocabilitas illa.

1063 Ne autem in hoc pactum antichreseos usurarium temerè incidamus, prudenter monet Dominicus Soto de Just. & Jure l. 6. q. 1. à 2. apud Canis. cit. n. 29. ut creditor rem, quam alioquin debitor pignori destinaverat, certo pretio emat cum pacto reuisionis, seu reuenditionis. Nam tali casu fructus, aliarque obventiones lucro cedunt emptori licitè; cum jam eas percipiat *ex re sua*, L. *qui scit*, ff. de usuris; & hoc pactum reuendendi esse licitum etiam in conscientia multis autoritatibus probat Tiraquellus, Navarrus, & alii apud Canisium l. c. Si dicas antichresis, & emptio illa in eundem finem tendunt, videlicet ad lucrandos fructus rei; ergo si non licet antichresis, nec licebit illa emptio. *Re.* esse diuersitatem *in modo*; nam emptio est modus licitus lucrandi fructus, antichresis illicitus, & usurarius; ille tendit ad lucrandos fructus *ex re sua*, ille *ex aliena*.

1064 Dices 2. etiam ille, qui per viam donationis, vel usus fructus lucratur fructus, tendit ad eos lucrandos ex re aliena, & tamen non est illicitus modus lucrandi. *Re.* viam donationis, & liberalitatis esse modum de se licitum, non autem viam mutui tendentis ad lucrum ultra sortem, præcisè vi mutui; cum in mutuo ea tantum res in obligationem veniat, quæ data fuit, non alia. Quod autem eadem res rectè detur uno modo, & non altero, patet. Nam hereditas justè dari potest testamento, non autem pactis. L. *hereditas*. C. de pactis conventis, & L. *licet* C. de pactis.

1065 Dices 3. antichresis etiam jure canonico saltem aliquibus casibus permittitur; ergo de se non est mala; antecedit. patet. Nam Clericus potest beneficii sui fructus à Laico injustè possessi, & sibi pro mutuo obligati, licitè percipere, ut dicitur c. 1. de usuris ibi: *nisi forè Ecclesia beneficium fuerit, quod redimendum hoc loco de manu Laici videatur*. 2. Cum domino feudi res feudalis in pignus datur, non tenetur fructus in sortem computare, c. *conquestus* eodem ibi: *nisi terra ipsa de feudo sit Monasterii vestri*. 3. Gener fructus possessionum pro dote sibi obligatarum licitè non computat in sortem. c. *salubriter* 16. eod. ibi: *Sanè generum ad fructus possessionum, qua*

sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligata, computandos in sortem, non credimus compellendum. *Re.* negando, Jure Canonico permitti antichresin ex pignore. Nam in primo casu solum ab injusta possessione avocatur Clericus possessionem *rei sua*, non tamen percipit viâ mutui fructus *ex alieno*. In secundo casu non est usura, cum fructus percipiat Dominus feudi *ex re sua* jam consolidata; feudum enim, cum à Vasallo in pignus datur Domino, consolidatur, & Vasallus ab onere obsequiorum liberatur: in tertio casu percipiuntur fructus in defectum dotis non sufficientis ad onera matrimonii supportanda, ut patet ex ipso textu ibi: *cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda*. Hinc simpliciter N. antecedit. de antichresi, quam rejicimus. Vide Wadingum de Contract. D. 6. d. 9. ff. 1. & 21.

Quæstio est 3. an licitum sit in contractu pignoris, *pactum legis commissoria*? quo scilicet inter debitorem, & creditorem convenitur, ut, si ab illo non solvatur debitum *intra certum tempus*, pignus committatur, hoc est, creditori cedat, ad eumque pertineat, sic, ut à debitore amissum sit &c. *Re.* illud jure Canonico, & civili reprobatum esse, ac illicitum, nisi fiat cum limitatione ad justum pretium, & solum secundum æstimationem debiti cedat, patet ex c. *significante*, de pignoribus ibi: *cum igitur pactum legis commissoria sit in pignoribus improbatum*, ut dicitur L. 3. C. de pactis pignorat. Et ratio est, quia, cum pignus communiter plus valeat, quam debitum ex mutuo, eo ipso *vi mutui*, aut saltem *vi pacti*, supponentis mutuum, perciperetur aliquid ultra sortem, quod est usura: hoc autem non contingit, factà illà limitatione; ergo. V. Cholin. d. 324. Wadingum, cit. D. 10.

Ex dictis colliges, nec pignoratorem, nec pignoratarium strictè loquendo, habere plenum dominium pignoris, neuter enim habet omnem usum: non primus, cum non possit rem habere penes se, non secundus, cum non habeat proprietatem; ergo. Quia tamen id, quo caret dominus pignoris, ethicè, & moraliter propè nihil est, ideo Molina tom. 2. d. 3. n. 16. censet, nullum jus in re, residens in alio à proprietario, obflare, quò minus hic dicatur pleno jure dominus, propter usum formalem

malem maximè perpetuum, ut est in emphyteusi, feudo, superficie, perpetuis. Quare, rem esse subjectam hypothecæ, pignori, servituti, censui, juxta hunc sensum, non facit, ut proprietarius, non sit rei plenus dominus, scilicet moraliter, & ethice, sic ille.

ARTICULUS VI.

An, & quibus usura restitui debeant?

1068 **Q**uæstio est 1. an dominium usurarum transferatur in Usurarium? Communior opinio Doctorum negat cum S. Thoma 2. 2. q. 78. à 3. in O. licet Cardinalis de Lugo D. 25. de Just. S. 11. n. 206. & alii affirmant, sed revocabiliter, seu cum onere restitutionis. Nam solvens usuras est earum Dominus; ergo si velit eas fieri alterius, & is acceptet dominium, in hunc transferetur, saltem earum, quæ cum rebus ejus permiscetur. Probabilior tamen est sententia negantium; nam, quod dicit de Lugo, non procedit, ubi recipiens est jure inhabilis, & deficit titulus jure pariter requisitus ad dominii translationem, id, quod non habet contractus usurarius.

1069 **Q**uæstio est 2. an Usurarius habeat dominium earum rerum, quas ex usuris perceptis emit? *ꝛ.* 1. si quid lucratus est ex pecunia usuraria. v. g. ludendo, negotiando, eum quidem cum æstimatione damni emergentis, vel lucri cessantis teneri ei, qui usuras solvit, restituere pecuniam usurariè acceptam, non autem, quod eâ lucratus est per suam industriam; quia hujusmodi lucra non sunt fructus pecunie, cum hæc ex se sterilis sit; sed proveniunt ex industria Usurarii, ideoque ipsi acquiruntur. Sic depositarius, quod emit ex pecunia apud se deposita, sibi acquirit: L. si ex ea, 6. C. de rei vindic. Sic etiam fur, aliquid emens ex pecunia furtiva, sibi acquirit; quia, quod ex re furtiva acquiritur, furtivum non est. L. qui vas, ff. de furtis. Similiter si uxor ex pecunia viri defuncti, pertinente ad filium, aliquid emat, suo proprio nomine, sibi acquirit. L. qui aliena. C. si quis alteri, vel sibi. Denique si quis eripiat artificis sua instrumenta, ac illis industriâ suâ, & labore aliquid lucretur, sibi lucretur, non artifici; quamvis rem ereptam cum damno emergente, & lucro cessante, teneatur restituere. *ꝛ.* 2. Si res usuraria sit fructifera, fructus ejus acquiri usurario, si usura transit

in dominium usurarii, quia sic eas percipit, ex re sua; secus si usura non transeat in dominium usurarii, juxta dicta n. 1076. quia res fructificat Domino suo.

Præterea not. 1. Usurarium vendentem 1070 usuras non transferre illarum dominium in Emptorem (si usurarius non sit dominus usurarum) juxta L. 11. §. & imprimis ff. de action. empt. acquirere tamen dominium pretii; quia pretium rei furtivæ non est furtivum, cit. L. qui vas: Sitamen res usuraria vendita evincatur, & emptor cedere cogatur, usurarium in foro conscientia teneri emptori pretium restituere, cum sit injusta causa damni, quod subit emptor in casu dictæ evictionis. Sic Azor p. 3. l. 5. c. 12.

Not. 2. id quod comparatur pecuniâ 1071 usurariâ, non comparari ad eam, ut rammum ad radicem, seu ut fructum ejus, sed ut fructum negotiationis. Et ideo Usurarius in eo casu non habet commodum ex iniquitate, sed ex labore; nec in hoc casu res empta ex pecunia usuraria succedit loco pretii, seu pecuniæ, sicut in hæreditate fidei commissi. &c. his præmissis:

ꝛ. Usuras omnino esse restituendas, 1072 & primo illis, à quibus sunt receptæ, vel in horum defectu, illorum hæredibus; si nec tales sint, pauperibus, ut constat ex c. Cum tu 5. h. t. ibi: sive ante sive post interdictum nostrum usuras extorserint, cogendi sunt, eas his, à quibus extorserunt, vel eorum hæredibus restituere, vel, his non superstibus, pauperibus erogare, tum ex c. Nemo, 14. q. 5. Et si usurarius recessit à loco, ubi usuras accepit, suis expensis eas mittere ad eum, à quo accepit, etiam si expensæ excedant usuras; quia sibi imputare debet damnum, quod suâ culpâ sentit; secus si recessit alter, sic Pirhing. hic n. 102.

Quando autem in cit. c. Cum tu, dici 1073 tur: possessiones, quæ ex usuris comparatae sunt, debere vendi, & earum pretia recepta restitui his, à quibus usurae sunt extorta, intelligi debet, dum adhuc sunt sub dominio usurarii, non autem, si sint alienatæ titulo, vel lucrativo, vel oneroso; quia, læso per usuras non sunt realiter, etiam tacitè hypothecatæ, sed tantum obligatæ ratione personæ, nimirum usurarii Azor cit. q. 13. §. Tertia opinio.

Quæstio est 3. an usurarius gaudeat be. 1074 neficio cessionis bonorum? *ꝛ.* cum hoc beneficium (quo debitoribus conceditur, ut non possint conveniri post cessionem in solidum,

lidum, sed tantum si ad pinguiorem fortunam pervenerint, quantum facere possunt, ita, ut non egeant, sed retinere possint alimenta necessaria, *L. Is, qui. ff. de cession. Bonor.*) detur tantum iis, qui casu fortuito redacti sunt ad inopiam; non autem iis, qui ex delicto; Usurarium eo beneficio non gaudere.

1075 Ad extremum not. non tantum ipsos usurarios obligari ad restituendas usuras, sive Clerici sint, sive Laici. c. 1. 2. & 7. h. t. quia hæc obligatio est juris Divini, & naturalis: sed etiam eorum hæredes, imò & legatarios deficiente hærede, & omnes eos, qui expressè mutuantis, vel usuras recipientis, sunt earum causa, quia sunt causa talis usurariæ receptionis p. c. *Tua nos. 9. h. t.* ubi Pontifex Episcopo Placentino rescribens, *respondemus, inquit, quod filii ad restituendas usuras ea sunt distractione cogendi, quæ parentes sui, si viverent, cogentur.* Et statim addit: *id ipsum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum;* postremum autem fundatur in jure naturali.

ARTICULUS VII.

De Judice, Probationibus, & pænis Usurariorum.

1076 **Q**uæstio 1. est, quis sit Judex competens in crimine usuræ, ante resolutionem notandum, esse aliquos, qui velint delictum usuræ esse *fori tantum Ecclesiastici*, sic Gloss. in c. 8. de foro comper. V. *malefactorum* & in c. 1. de offic. Ordin. Præsertim cum Laici usurarii dicantur puniendi à Judice *Ecclesiastico*, etiam per *excommunicationem*, ut habetur c. 1. 2. & 7. h. t. & usurarum causa videatur ad dictum Judicem pertinere juxta Clement. 2. de Judiciis: probabilis tamen est, illud esse *fori mixti*, consequenter spectare ad utrumque forum, & præventioni locum esse; sic Covarru. p. 3. *Variar. c. 3.* & communior 1. quia Laicus non prohibetur cognoscere de causa furti; sed crimen usurarum sapit furtum, & rapinam, per c. *si quis usuram* 14. q. 4. Deinde si quid foret, ob quod reduci deberet ad forum *duntaxat* Ecclesiasticum, esset, *quia prohiberetur ab Ecclesia*; at etiam prohibetur adulterium, & plura similia, de quibus tamen cognoscit Judex & laicus, & Ecclesiasticus. Quod desumitur ex Clementina 2. non probat esse *fori Ecclesiastici privativè*. Et quamvis usurarius statua-

tur *pœna canonica excommunicationis* &c. idem tamen fit etiam in aliis delictis, quæ tamen manent mixti fori. Nec etiam quidquam facit, quòd jure civili usura permittitur; quia tamen leges illæ foveant peccatum, nullæ sunt; & Judex laicus illis licitè uti non potest, sed tenetur sequi dispositionem Clementinæ 1. h. t. cæteroquin graves Ecclesiæ pœnas subiturus.

Quæstio est 2. qualiter hoc crimen probetur? 1. aliquem esse usurarium *manifestum*, probari evidentia facti, vel usuram frequenter exercitâ, ut notat Mascard. de probat. Volum. 3. conclus. 1415. n. 3. Deinde confessionem judicalem usurarii; imò (etsi aliàs non inducat notorium juris, per c. *fin. de cohabitator.*) per extrajudicalem coram sacerdote, qui est iudex ejus in foro animæ; vel notorio, aut saltem publice coram testibus; sic Gloss. in c. 2. h. t. in 6. V. *Manifesti* 3. per duos vel tres testes idoneos: 4. per famam, & communem opinionem probatam per testes, concurrentibus simul aliis adminiculis. Sic Mascard. cit. conclus. 1417. Sed not. non sufficere famam cum opinione communi, & aliis utcumque adminiculis, ut dicatur quis usurarius *manifestus* (prout hic subjicitur pœnis c. *quia in omnibus.* 3. h. t. statutis) sed requiri talia argumenta, per quæ *constet* esse usurarios, ut decidit Innocentius III. in c. *Cum in Diocesi* 15. h. t. Et ideo etiam ex libris Rationum probari quis poterit usurarius *manifestus*, & compellique potest (non modò per censuras, sed etiam per vim, frangendo, vel etiam vi apertendo ejus cistas) ut, cum de usuris agitur, exhibere cogatur suarum rationum codices, & hoc ex eo, quòd contractus usurarii occultè, ac dolosè inchantur, ut dicitur in Clement. *Exivi* h. t. & Abbas ibidem n. 12. Et quamvis tales libri non probent *proscribente*: ut habetur L. *Instrumenta* 5. L. *Rationes*, 6. cum sequent. C. de probat. probant tamen *contra scribentem*; ita Zoësius h. t. in fin. Nec obstat, quòd aliàs *nemo teneatur* edere rationes privatas; & instrumenta, vel probationes contra se producere, ut dicitur L. 4. C. de edendo L. 7. C. de Testibus, junctâ gloss. in cit. §. *cæterum. R. Rationum*: in hoc tamen casu contrarium *specialiter* constitutum est in *odium Usurariorum*. Usurario autem neganti, etiam cum juramento, se habere librum rationum, non creditur, nisi probet amissum casu

casu fortuito, incendio, ruinâ: secus est de hærede, aliâs fide digno, nec usurario, & cum juramento neganti se habere librum rationum; sic Gloss. in cit. §. *Cæterum V. compellendos.*

1078 Quæstio est 3. quæ poenæ statuta sint in usurarios manifestos? R. cum usura tam jure divino, & naturali, quàm canonico prohibita sint, propter injustitiam, quam in se continet usurarum receptio, non est dubium, omnes usurarios, tam reales, quàm mentales, etiam occultos, teneri ad earum restitutionem, etiam Judæos, c. *post mirabilem*, & c. *penult.* h. t. Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. c. *cum tu.* 5. h. t. maximè cum usura proxima sit rapinæ, c. *si quis* 16. q. 4. Et hæc obligatio transit etiam ad hæredes Usurarii, saltem pro parte hæreditatis, c. *cum tu.* & c. *Tua nos*, h. t. nimirum si quid ad eos de usuris pervenit. Et quamvis aliâs de jure civili poenæ, *delinquentis personam non egrediatur*, ut dicitur L. *Sancimus* C. de poenis; nec hæredes ex delicto defuncti conveniantur, nisi quatenus, aut ex delicto ad eos pervenit, aut lite cum defuncto contestata, L. *unicâ* §. *non autem* C. ex delictis defunctorum: jure tamen Canonico dicendum videtur, etiam si nihil ad hæredem pervenerit, eum teneri ex hæreditate accepta satisfacere læsis ex delicto usurario defuncti, arg. c. *fin.* de sepulchro. & c. *in literis* de Raptoribus, quia hæc dispositio concernit favorem animæ, ut notat Valensis h. t. §. 4. n. 1. propterea volens, idem servandum esse in foro civili, arg. c. *fin.* de præscript.

1079 Præter hæc not. 1. primam usurarii manifesti poenam esse *infamiam ipso jure*. L. *Improbum*. 20. C. ex quibus cautis irrogetur infam. & c. *Infames* §. *porro* 3. q. 7. ex hoc autem sequuntur & reliqua, quæ consequuntur infamiam, v. g. irregularitas. c. *inter dilectos*. 11. de excess. Prælat. Deinde Clericus, si sit Usurarius manifestus, & monitus non desistat, suspendendus est ab officio & beneficio. Si autem sit Laicus, excommunicandus, dum debite satisfaciat, ut dicitur in c. *Præterea* 7. h. t. ibi: *Parochianis tuis usuras recipere interdicas; si parere contempserint, si Clerici sint, eos ab officio, & beneficio suspendas; si Laici, usque ad condignam satisfactionem*

ipso vinculo excommunicationis adstringas, junct. gloss. *fin.* etiam antequam perveniatur ad poenas textus in c. *quia in omnibus*. 3. h. t. quæ communiter infliguntur primo post mortem; tum quia, *uti plures poenæ statuta sunt, electio est penes Judicem* c. *fin.* §. *fin.* ut lite non contestata: tum quia excommunicatio magis timetur c. 1. de except. in 6. Sic Abbas in cit. c. *præterea*. n. 4. Cæterum hodie per c. 1. h. t. in 6. manifesti usurarii sunt ipso jure excommunicati.

Not. 2. Præter dictam poenam, usurarios manifestos privari 1. *communione altaris*, seu (ut aliqui volunt) sumptione sacrae Eucharistiæ. Deinde ne ipsorum *oblationes* recipiantur ab Ecclesia. 3. privantur *Christianâ sepulturâ*, si in tali delicto deceaserint; & scienter eos sepelientes ipso facto excommunicantur, non liberandi, nisi datâ satisfactione diocesano, per cit. c. 3. h. t. nisi saltem ante mortem caveant, ut usurae, illicitæ perceptæ, solvantur, & solutio, vel saltem sufficiens cautio præsteretur, ut habetur in c. *quanguam* 2. h. t. in 6.

Not. 3. Manifestos usurarios etiam 1081 in periculo mortis non esse absolvendos à peccatis, etiam reliquis, nisi parati sint usuras restituere, vel de hoc idoneam præstent cautionem, nec licere ulli, conficiendis eorum testamentis, interesse, cit. c. *quanguam*, & testamenta ipsorum aliter facta (nimirum sine restitutione usurarum, vel idoneâ cautione) irrita, & nulla esse, ipso jure, ut habetur in cit. c. *quanguam* §. *nullus*, & §. *fin.* & hoc procedit de qualibet ipsorum ultima voluntate; tum quia id insinuat initium c. *quanguam* ibi: *in ultima voluntate*, tum quia satis aperte id colligitur ex ipsâ intentione constitutionis.

Not. 4. Ecclesiasticos non posse usu- 1082 rariis manifestis, alienigenis, seu externis, elocare domos, vel concedere illis habitationem in terris suis, imò teneri eos expellere intra tres menses sub poenâ suspensionis ipso facto, si sint Episcopi; excommunicationis autem, si sint inferiores Episcopis: interdicti verò, si sit collegium, vel universitas c. *Usurar.* 1. h. t. in 6. V. etiam Clement. 1. eodem.

QUÆ.